

2

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOREA SANCTI VITI.

AUCTORE DAVIDE SHAW.

PROOEMIUM.



PAUCA scribere de Chorea Sancti Viti in animo est, quem morbum ipsi iterum atque iterum vidimus, eoque majore studio plus excolere incendimur. Ignorantia tamen medicorum, quod ad genus nervosum attinet, hunc morbosque alios inde pendentes plurimum adumbrat. Ideoque nos, qui adhuc rudes quasi, et usui medicinae parum docti sumus, aliquid novi de morbo adeo difficili proferre posse, vix expectan-

A

[1817]

dum est. Res vero praecipuas, et, ut nobis apparent, utilissimas colligere in hac disputatione conabimur, ut de morbo disserendo, legibus nostrae almae académiae obtemperemus.

DE HISTORIA.

CHOREA SANCTI VITI nomen est motibus quibusdam invitis convulsivis impositum, qui partes corporis humani varias implicant. Hoc primum ei datum erat, ut HORSTIUS nobis dicit, circiter medium seculi decimi septimi ; ob hanc causam illi, qui ad festum Sancti VITI abierint, motibus convulsivis prius vexati essent, quos anxietas animi, seu numinis divinus affectus, ut iis persuasum est, simul cum saltatione perpetua inter ritus divinos perficiendos intendere solebant. Quae saltatio, corpora cultorum ita infirmabat, dum fervor sacer animas adeo movebat, ut exhausti et convulsionibus correpti,

fanatici tandem deciderint. Talis erat pietatis insipientis plerumque exitus. Consuetudo saltandi apud ritus divinos, Choremam ut hujus morbi nomen, a verbo *χορεία*, *actio saltandi*, suggerebat, cui nomen Sancti additum est.

Hunc morbum convulsivum in seculis etiam antiquissimis accidisse verisimile est; et omniaevo ad nostra tempora usque medicis notandum esse; sed tum morbus convulsivus simpli-citer nominatur est. Sub finem seculi proximi quoque Doctor CULLEN, in sua Nosologia, Choremam utpote convulsionis speciem posuit; ob aetatem aegrorum tamen, qui ea saepius impli-cantur, et ob motus abnormes et peculiares, qui sese ostendunt, postea ei persuasum est, Choremam ab omni specie convulsionis differre, eoque genus distinctum huic assignandum esse. His verbis definitionem ejus dedit:

“ Impuberes utriusque sexus, ut plurimum
“ intra decimum et decimum quartum aetatis
“ annum adorientes, motus convulsivi ex parte

“ voluntarii, plerumque alterius lateris, in bra-
“ chiorum et manuum motu, histrionum ges-
“ ticulationes referentes ; in gressu, pedem al-
“ terum saepius trahentes quam attollentes.”

Qui omni anno ad templum Sancti VITI pro-
fecti sunt, devoti illi doloribus membranorum
vagis, lassitudine spontanea, et capitis gravita-
te, torquebantur, priusquam motus muscularum
convulsivi inciperent *. Haec signa nostram in
memoriam revocant narrationem morbi convul-
sivi, qui in regionibus Scotiae quibusdam seculo
proximo se ostendit †. In parochiis de Leth-
not, Menmuir, Craig, et Tannadice, sub no-
mine *Leaping Ague* cognitus est. Illi qui eo
impliciti sunt, primo de capitis, dorsi, aliarum-
que partium doloribus, et de palpitatione cor-
dis conquerebantur ; quibus motus convulsivi
et saltandi paroxysmi superveniebant. In agi-
tatione paroxysmorum, aegri alii velocitate mi-
rabili currebant, donec viribus exhaustis deci-

* Vide Operum Horstii, vol. iii.

† Vide Statistical Account of Scotland.

debant ; alii sese volvebant, et alte scandebant mirum in modum ; alii corpora sua in formas mille diversas torquebant ; dum alii in omni passu saliebant, aut fervore religioso impressi, (ut multis apud Cambuslang, in praefectura Lanacri, A. D. 1742, accidit), manus suas colli-debant, manu plangebant pectora, et animo et corpore agitatis, vehementer tremiscebant, dum convulsionibus usque capti corruabant, aut interdum in statu syncopi simili jacebant.

Morbus similis convulsivus etiam in insulis *Thules Ultimae* prevalebat, qui puellas ab aetate sex annorum et supra, multo saepius quam viros juvenes, aut pueros, vexabat : nihilominus tam multi homines aequa ac foeminae eo interdum torquebantur.

In hac urbe Edinburgo, casus puellae infra pubertatem, olim attentionem omnium sibi convertit, propterea quod morbus, nisi memoria nobis fallax sit, beneficio vulgo attributus est. Malum ejus a convulsionibus diaphragmatis et

musculorum abdominis actionem moventibus inter vomitum et singultum intermedium incipiebat; quibus, actiones convulsivae extremitatum cito supervenerunt. In paroxysmis, qui ter quaterve indies acciderint, super lectum modo saluit, modo se in axi celeriter circumvertebat, modo circum funes a quibus lectum suspenderet, currebat*.

Doctor WATT apud Glasguam quasdam casus Chorea maximi momenti in volumine quinto Actorum Medico-Chirurg. Lond. inseruit. Casus primus est puellae annos decem natae, constitutione tenera, caeterum indole hilari atque alacri praeditae. Sub finem anni 1812 animus ejus quodammodo demissus, et vultus solito magis pallidus videbatur. In Januario sequente, capitis vehementer dolore, vomitu frequente comitato, correpta est; quorum uterque interdum paululam alleviationem subiit, quando nauseam et oppressionem sensit.

* Vide Edin. Med. and Surg. Journal, vol. iii.

Ad capitis dolorem leniendum semper fuit corpore erecto, et nunquam, nisi exhausta et somno capta, jacebat. Haec signa cum vix ulla mutatione per hebdomadas quatuor durabant, cum aegra facultatem loquendi et ambulandi amisit. Hoc tempore proclivitas illerat ad circumvertendum in pedibus, turbini similis, celeriter in eodem modo a mane ad vesperem usque. Hic motus rotans capitis dolorem minuere visus est ; circiter mensem perstitit, quum capitis dolor antea vehementior rediit, et quem compressio valida inter manus et cum fascia lata quodammodo minuit.

Post duas hebdomadas motum muscularum colli prorsus amisit ; ita ut caput ejus in humeros aut truncum reclinaverit. Capitis dolor tamen nunc imminutus est ; et facultatem loquendi partim per duas hebdomadas recuperavit, deinde iterum amisit, novumque ad motum rotantem decurrit.

Se transversum in lecto posuit, cylindro simi-

milis, et cum celeritate magna rotavit, capitis et pedum potissimum auxilio, brachia enim saepe rigide distenta lateribus erant. Totum corpus interdum adeo rigidum fiebat, ut rotatum tardaret, vel prorsus impediret. Hoc affectu tetanico sponte et subito abscedente, rotatio rapida iterum incipit. Aegra, nihil impediente, quinquagies vel sexagies, in horae parte sexagesima se circumrotavit, idemque per totum paroxysmum fecit, qui primo horas duas duravit, deinde gradatim ad septem horas quotidie increvit. Hic motus per sex hebdomadas quotidie continuatus est; tandem vero alii locum dedit haud minus mirabili.

Aegra jacuit supina, caput calcesque in arcum contraxit; deinde, spasmis solutis, nates in lectum deciderunt. Paulisper jacuit supina et extensa, iterumque eundem motum repetivit; idque fecit decies vel duodecies in temporis minuto; primo per sex horas quotidie, increscens vero paulatim ad quatuordecim. Quis motus sex hebdomadas duravit.

Postea proclivitate, quae obsisti non potuit, standi super caput et humeros, truncō et cruribus sursum elevatis, capta est. Cum corpus eo modo positum esset, vi musculosa omni deficiente quasi, ut cadaver decidit. Hoc non citius facto, quam crura et truncum ut antea elevabat, idemque a decies ad quindecies facere per horas quindecim quotidie perseverabat. Paroxysmi ad horum octavum mane cooperunt, atque ad undecimam vespertinam continua- runt; qua debiliores motus facti sunt. Pater aegrae tum eam corripuit vique tenuit, donec quieta facta est, et cibos sumpsit. Nutrimentum enim ante accessionem et post decessum paroxysmorum tantum sumeret.

Eam vi tenere tentatum est, ut habitus abrumperetur, sed furiosa similis ferae perpetuo luctabatur, dum liberata, cum motus consuetos repetebat, quibus nihil excogitatum obsistere potuerit.

Denique accedebat diarrhoea spontanea, (vel

fortasse purgantibus repetitis mota, quae tum exhibita essent), cui motus abnormes cedere visi sint. Haec aegra tandem usum sermonis, vires suas, hilaritatem, et valetudinem pristinam secundam recuperavit.

Ante accessionem matutinam agitatio generalis, capitis huc et illuc motus, subinde muscularum vultus, et extremitatum inferiorum subsultus aut contractio spasmodica incidebant; et tum multum conterrita, et spe destituta quasi, custodi obluctare coepit; qui super lectum eam posuit, ubi confestim more solito motus abnormes exercere incepit.

Historia et signa Chorea a SYDENHAMO, more suo solito distincto atque perspicuo, data sunt; et auctores, qui de hoc morbo postea scripserunt, parum ejus observationibus addiderunt; usquedum Doctor HAMILTON senior hujus civitatis opus utilissimum de “ Utilitate et Effectibus Medicamentorum Purgantium” edi-

dit; quo historiam ejus ampliorem reddidit, resque multas graves curationi attulit.

Chorea plerumque pueros et puellas, ab anno aetatis sexto ad decimum sextum usque, sine discrimine corripuit, quorum constitutio debilitata, et valetudo naturaliter bona, et vigor in scholis vita sedentaria aliisque causis similibus fuerint imminutae. Interdum tamen, adultos habitu debili irritabilique infestavit. Propter systema foeminarum tenerius, et maribus mobilius, eo multo saepius implicitae sunt. Praeterea, Doctor HAMILTON senior, quod structura pelvis foeminae capacior Choreae proclivitatem det, atque curationem ejus difficiliorem reddat, existimat.

Adultos vero multo rarius invadit, nisi sint admodum opportuni, aut fanatica religione capti.

Plerumque tarde irrepit; et saepe in tantum progressus, ut motus convulsivi et ridiculi prima

signa sint, quae attentionem aegri ipsius aut amicorum tali malo convertunt. Quaedam indica tamen, veluti dolores vagi, languor, torpor, debilitas, pallor vultus, appetitus varius, saepius vorax, obstipatio, extremitatum frigiditas, tinnitus aurium, vertigo, persaepe morbum hunc praecedunt. Musculturum subsultus et spasmi leves primo apparent. Motus vero abnormes et convulsivi plurimum variant pro affectu generis nervosi, et musculturum qui correpti sunt: hinc motus ridiculi, vultus distortus, loquela imperfecta vel abolita, caput in mille positus conjectum, gestus ejus varius et vacillans, aut titubatus et saliens. Musculi flexores extensoresque, unum pedem vulgo vertunt moventque invite, dum aeger aliter quietus sedet: aut si ambulare coepit, gressum ejus vacillantem et ridiculam reddunt. Brachium quoque ejusdem lateris, morbo inveterascente, motibus convulsivis ejusdem generis convellitur.

Aegrorum tamen, qui in regionibus Scotiae septentrionalibus correpti sunt multis, ex-

tremitates superiores, cervix, et facies solummodo convulsae erant. Testis fui item aegri, cui brachium sinistrum primo erat affectum iis motibus invitis, deinde musculi pectorales, prius quam crus aliaeve partes laborare viderentur.

Hi motus plerumque unum latus solum infestant, interdum vero ambo; in quibus casibus, verisimile est, natura graviore et periculosiore esse, ideoque diuturniorem, et curatu difficiliorem fore.

Minime rarum est eos motus abnormes ad certas aut aliquando inordinatas periodos redire. Itaque HORSTIUS nobis dicit, foeminas per aliquot hebdomadas ante festum annum Sancti VITI iis correptas fuisse. In quibusdam regionibus Scotiae quoque, foeminae et quidam viri diebus dominicis et sacramentalibus impliciti sunt. Doctor WATT mentionem de casu notabili fecit, in quo motus convulsivi intervallis variis redierunt: et in casu quem nos vidimus, ut supra dictum est, accessiones mo-

tuum convulsivorum, omni vere per aliquot annos iteratae sunt.

Ubi Chorea diutius traxit, gravisque fuit, motibus convulsivis haud raro paralysis supervenit, aut partialis, aut magis generalis, pro injuria parti, vel tali generi nervoso illata. Aegri eo modo impliciti, cum ambulare conantur, unum crus trahunt, ejusque motum simul cum eo brachii lateris ejusdem ex parte amittunt, aut loquela privantur.

In multis exemplis Choreae, functiones systematis generaliter non, nisi imperfecte, geruntur; macies igitur necessario sequitur. Morbus quoque, etiamsi primo fortasse in parte corporis solum contineatur, ob consensum generalem et intimum generis nervosi, cerebro ipsi tandem communicatur; ideoque facultates animi sese imperfecte manifestant. Hinc fatuitas plus minusve profunda, vix evitanda, accedit: quae tamen perraro permanet, neque si-

mul cum motibus convulsivis, ut aeger vires suas atque vigorem recuperat, gradatim decrescit.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

CAUSAE Choream excitantes nunc esse intel- liguntur, quaedam irritamenta vel animo vel corpori applicata. Studium nimium flagrans- que rituum sacrorum, quod, ut antea dictum est, in quibusdam locis Scotiae praevaluit, ubi religio mentes hominum superstitione occupavit, motus convulsivos frequenter incitavit, quos fuisse Choream quodam modo modifica- tum censemus. Quid animum vehementer et subito imprimat, id pro causa excitante haben- dum est. Ira maxime animum corpusque per- turbat, et aliquando paroxysmis convulsivis ori- ginem dat, qui Choreae similes sunt. Horror numinis stupefacit enervatque totum hominem, et in systemate proclivi motus abnormes Cho- reae movet.

Interdum, tamen, horror accessioni periodicae provenit; quod fortasse corpori hysteria admodum imbuto eo tempore attribui possit. Medici vero hodie irritamentis ad corpus magis quam ad animum pertinentibus causam referre solent. Dentitio enim, vermes, acria in canali intestinorum, odores ingrati, et similia, causae excitantes Chorea valde communes sunt.

Dentitio, ut omnibus cognitum est, somnum perturbat, appetitum functionesque concoctionis imminuit, sensibilitatem morbidam aegro inducit, et tandem aut diarrhoeam, quae haud raro vires subruit, aegrumque exhaustit, aut obstipationem facit, quae plurimum exasperat signa supra recensita.

Vermes in canali intestinalium saepe innocui existunt; aliquando autem signa periculosa movent, veluti tussim sicciam et duram, maciem, abdomen tumidum durumque, pulsum inordinatum, et convulsiones.

Acria in intestinis frequenter irritabilitatem corporis magnam excitant, multasque ejus functiones, praecipue organorum concoctionis et cerebri, morbidas reddunt: hinc contractiones abnormes convulsivae muscularum in partibus corporis variis, ut in Chorea apparent, sequuntur ut consequentiae justae.

Odores, qui plerisque hominum grati jucundique sunt, quibusdam singulis adeo ingratissimi, et admodum intolerabiles sunt, ut paroxysmum syncopes, asthmatis, convulsionis, et praeter dubium, Chream ipsam, moveant.

Sympathia quoque inter causas excitantes habita est, quam vero hysteriae, quam Choreae ascribere malumus, cum morbum longius extenderet videatur.

Quaedam externa locum corporis irritantia, ut vulnera, contusiones, pressura mechanica, et caetera, pro causis Choreae excitantibus interdum habenda sunt.

DE PATHOLOGIA SEU CAUSA PROXIMA.

CHOREA, ut omnibus patet, in affectione generis nervosi quadam constat, quod vel in statu integro vel morbido ad hunc diem usque, parum cognitum est ; ideoque parum aut nihil certi de hujus morbi pathologia seu causa proxima, ut saepe dicta est, habemus. In conjecturis antiquis aut vagis indulgere alienum es-
set ; cum SYDENHAMUS etiam, observator cau-
sarum et phenomenarum morborum acutissi-
mus et sagacissimus suo tempore, his verbis
utitur : “ Chorea Sancti Viti seems to proceed
“ from some humour rushing in upon the
“ nerves, which provoke such praeternatural
“ motions.”

Causa proxima, de conditione quadam mor-
bida adhuc parum cognita, aut partis aut totius
generis nervosi, pendere videtur. Pars hujus
systematis saepissime ab initio forsitan afficia-

tur; sed ob commercium nervorum liberrimum, alii nervi aut nervorum ramuli, pari modo affecti evadunt; et consensu eorum generali pheno- mena morbida seu motus convulsivus longe la- teque extendunt. Hae actiones morbidae in eo latere corporis, quo nervi laedantur, incipere debent: propterea quod vis nervosa ibi imper- fecte transmittitur, nisi nervi ex hemispherio ce- rebri altero orientes decussent, defectumque suppeditent. Itaque in exemplo Chorea fae- cum accumulatione in intestinis excitatae, con- cipere facile possumus massam accumulatam in parte intestinalium, praecipue nervis, a latere corporis sinistro instructa existere; eoque ac- tiones morbidae sive convulsivae muscularum in extremitatibus etiam lateris sinistri accide- rint.

Sed, cum nervi amborum laterum adeo in- time inter se in ganglio semilunari, aliisque plexibus et conjunctionibus in cursu suo an- nectuntur, minime est mirandum, quod inter- dum ambo latera corporis motibus abnormibus

et ex parte voluntariis afficerentur. Hinc in casu supra narrato, ambo latera motibus diversis, qui variis temporibus successissent, implicita sunt. Casus quoque, in quibus ambo latera correpta essent, nos ipsi vidimus, atque idem incidebat religiosis et animo fortiter affectis, de quibus mentio facta est. In casibus ex animi affectionibus orientibus, fatuitas multo aptior est accidere, quam in quibus actiones morbidae in irritatione corporea nituntur. Cum autem contractiones convulsivae vehementes et diutinae sunt, affectio generis nervosi morbida primo ad partem, et saepe quidem minimam partem ejus systematis cohibita, sensim latius discurrit, dum animi facultates usque corporis afficiantur; et inde plus minusve fatuitatis inducatur.

DE DIAGNOSI.

PAUCA de diagnosi dicere licet, ut quaedam exempla supra, utpote Chorea adducta, potius

hysteriae existimari possunt. Certos intra fines admittendum est hysteriam foeminarum juniarum esse communem, atque nihil citius et facilius eam iis movere, quam affectiones animi vehementes. In regionibus diversis, tamen, ubi hi morbi convulsivi ex studio nimis religioso oriri apparuerunt, et vulgo et medicinam facientibus habitu sunt, ut ab hysteria discrepantes. Inter quorum signa nulla mentio de globo hysterico, de spumis oris, et de intervallis et suspiriis paroxysmi, ut in hysteria fiant, facta est. Praeterea, hysteria raro, si unquam, ante annum aetatis decimum secundum aut quartum apparet: religiosis vero convulsiones saepe acciderunt ante eam aetatem; et haud raro mares constitutione debili et irritabili praeditos, aequa ac foeminas, arripuit. Aetas igitur tenera, et constitutio debilis mobilisque aegrorum ad Choram proclivitatem fortem dedisse videntur, quam affectiones animi vehementes apud festum Sancti, et occasiones sacramenti in formam Choreae veram converterunt. His rebus bene perpensis, nobis videtur

eos morbos convulsivos fuisse Choremam, haud parum aliquando mobilitate hysterica mistam.

DE PROGNOSI.

QUOD attinet ad hujus morbi prognosin, dicere licet eventum fere semper faustum futurum esse. Nihilominus tamen, si diu traxit, si motus convulsivi graves fuerunt, et si totum per latus, aut per ambo latera corporis grassati sunt, et paralysis partium affectarum supervenit, vel si cerebrum et mentis facultates injuriam magnam passa sunt, et epilepsiam vel fatuitatem incitaverunt, quorum utraque permaneat, prognosis et potius infausta habenda est. Casus Choreae, quibus aut paralysis, epilepsia, aut fatuitas perpetua supervenerit, plerumque tempore haud ita longo fatales fuerunt ex macie et debilitate extremis.

DE METHODO MEDENDI.

IN Chorem tractando, plurima remedia variis temporibus in usum venerunt, et summis laudibus paulisper elata sunt, quae hodie mentione non digna esse videntur. His igitur prætermisis, confestim ad methodum curationis hodiernam ventum erit, quae et simplicissima et efficacissima apparet. Consilia medendi nostra ad tria deduci possunt :

1^{mo}, Ad causas excitantes seu irritationes submovendum.

2^{do}, Ad motus convulsivos interrumpendum, et habitum morbidum tollendum.

3^{tio}, Ad vires systematis languidas reficendum.

Ut primum consilium compleamus, necesse

est causas excitantes quam maxime detegere. Hoc tamen aliquando efficere difficillimum, si non impossibile, est ; ideoque curatio eo plus incerta erit. Si Chorea, gingivis inspectis, excitari dentitione visa est, incisio gingivarum super dentem, qui irritationem fecisset, curatio praesens et efficax est.

In plerisque vero casuum functiones concocationis pravae, et dejectiones alvi nimis parcae et non naturales sunt ; purgantia igitur praecipue utilia sunt.

Cum vermes, aut acria in canali intestinorum, aut obſtipatio, causa excitans esse appareat, purgantia quoque, praesertim vero submurias hydrargyri, qui et officio anthelmintici et purgantis perfungitur, non negligenda sunt.

Si affectiones animi causa movendi Choram intervallis videntur, aegri longe ab omnibus rebus extemplo sunt amovendi, quae ad tales affectiones incitandas pertineant ; eorum animi

rebus jucundis hilaribusque occupari, et corpora pro viribus suis sub coelo aperto exercere, debent.

Ad consilium secundum efficiendum, causam excitantem submovere interdum satis est. Saepe tamen actiones morbidae diu habitu perficiuntur, postquam causae, quae eas induxissent, sublatae erant. Hinc antispasmodica, veluti opium, camphor, hyoscyamus, aether sulphuricus, assafoetida, valeriana, &c. diu in curatione Chorea usurpata sunt. Ad aegram, quae multis abhinc annis in Edinburgo Chorea laborabat, cuius de casu mentio supra facta est, tinctura opii, largis dosibus gradatim auctis ad libram usque, quotidie data est, attamen cum parva, in ulla, signorum alleviatione. Antispasmodica tamen eo nomine, utpote inutilia, contemni non debent; contrario, auxilia optima sunt, quanquam methodus medendi hodierna non iis solum nitetur.

Ad consilium tertium ventum est, nempe, ad

vires systematis languidas reficiendum. Quam ad rem tonica varia exhibita sunt ; veluti præparationes ferri, oxydum et sulphas zinci, ammoniaretum cupri, nitrás argenti, cinchona officinalis, amara vegetabilia, et balneum frigidum.

Ex quibus tinctura muriatis ferri facillime ventriculo retinetur, per cujus medium toti corpori vigorem majorem impertit, eoque utilissima est.

Nitras argenti quoque tonicum forte est, cum rite cauteque exhibeat. Cum autem dosis hujus medicamenti multum augetur, alvum semper dicit ; cui affectui, purganti nimirum, virtutes suae, ut nobis saltem videtur, nuper in curatione Chorea adeo multum elatae, attribuendae sint.

Alia tonica metallica jam recensita ventriculum potius nimium afficiunt, nauseamque cident, quae consilio nostro medendi obstaret.

Cinchona officinalis et amara vegetabilia, a medicis hodiernis exhibita sunt summo cum fructu, vel per se, vel cum purgantibus conjuncta aut alternata.

DE HAEN electricitate uti solitus est; cui quidam recentiores medici ulcerationem perpetuam sive fonticulum ad os sacrum addiderunt, auxiliumque bonum experti sunt. Ad cucurbitulas sine ferro, et nuper ad galvanismum, non sine commodo decursum est.

Celeberrimus SYDENHAMUS missione sanguinis ad uncias paucas potissimum, et purgantibus et anodynibus alternis diebus, aut intervallis adeo longis, ut aegrum non debilitarent, confusus est. Diebus inter purgantia interpositis, misturam tonicam et stimulantem dedit, qua methodo quinque aegros, quibus visere accersitus esset, curavit.

Doctor CULLEN ab evacuante methodo tractandi a SYDENHAMO instituta differre videtur,

et sic dicit : “ In some plethoric habits, I have
“ found some bleeding useful ; but in many
“ cases I have found repeated evacuations,
“ especially by bleeding, very hurtful.” — “ In
“ many cases,” addit idem, “ I have found the
“ disease, in spite of remedies of all kinds, con-
“ tinue for many months ; but I have also
“ found it often yield readily to tonic reme-
“ dies, such as the Peruvian bark and chaly-
“ beates.”

Omnis hae methodi curationis tamen facile
cedunt curationi hodiernae efficacissimae a Doc-
tore HAMILTON seniore, (cujus mentis acumen
in observando nunquam superatum est), in usum
prolatae medicamentis purgantibus. Hic summo
jure Chorem ex stadiis incipiente nimirum et
confirmato constare existimat. In primo, dum
intestina sensibilitatem retinent, et antequam
accumulatio faecum magna est, purgantia lenia
pro re nata iterata, curationem facile effectura,
vel potius morbo bene formando praeventura
sunt. Purgantia fortia in dosibus partitis ex-

hibenda sunt *, ita ut insequens dosis effectui prioris auxilietur, dum materia faeculenta accumulata usque fuerit mota atque expulsa ; et indicia valetudinis secundae apparuerunt rediturae. Qui curationem Chorea purgantibus susceperit, id ad propositum tenax firmusque esse debet. Fiducia, quam sibi assumit, necessaria est ad fidem animis amicorum inspirandam, quod eventus demum fuerit felix. Dejectiones alvi sedulo inspicere medicum oportet ; ut effectus medicamentorum noverit, eorum dosin et repetitionem idoneam statuerit.

“ Here, as in all other cases of extreme debility,” ait Doctor HAMILTON senior, “ induced by disease, the recovery is at first slow and gradual. A regular appetite for food, a more intelligent eye, and lightened countenance, cheerfulness and playfulness of temper, increasing aptitude for firmer motions, the restoration of articulation, and of the

* Aegro uni, quem vidi, per dies quindecim, aloes socoforinae grana triginta quotidie data sunt ; quibus, dejectiones copiosae tertio die redditae sunt ; die decimo quinto, tam copiosae erant, magis vero naturales. Ad quantitatem faecum mirabilem, Chorea praecipue insignis est.

“ power of deglutition, a renovation of flesh
“ and strength succeed each other, and being
“ more and more confirmed, are, ere long,
“ followed up by complete recovery.

“ For some time after these salutary changes
“ take place, the state of the bowels must con-
“ tinue an object of attention. An occasional
“ stimulus from purgatives will be requisite
“ to support their regular action, and to re-
“ store their healthy tone, the only security
“ against the renewed accumulation of faeces,
“ and of consequent relapse.

“ About this time, also, remedies possessed
“ of tonic and stimulant power may be used
“ with propriety and effect ; they restore ener-
“ gy to the torpid bowels, aid the purgative
“ medicines in obviating costiveness, and thus
“ confirm a recovery already advanced. Ve-
“ getable bitters, or the preparations of steel,
“ may perhaps be the most useful for accom-
“ plishing these ends.”

Mutatio aëris, balneum in mare per aestatem,
aut balneum pluviale domi, et alvus facilis, cor-
pus aegri ex toto confirmabunt, redditumque
morbi prohibebunt, ideoque non sunt negli-
genda.

FINIS.

ETTU ATTONIA ALGONQUIN

protection of their countrymen by the English
and French. **F**or as we do know that the crusades have
been undertaken for the propagation of the Christian
religion, then that supposition abundantly sheweth